

05

A

2468





IN NOMINE JESU!  
DISPUTATIO THEOLOGICA

*Continens*

Brevem & Succin-

ctamenodationem Dicti Jo-

hannæi ex Capit. III, v. 16.

*contra*

Calvinianorum Hæresin.

*Quam*

Annunte Supremo Nomine :

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Plur. Reverendi Amplissimi Excellentissimi,*

**DN. ABRAHAM CALOVII,**

SS. Th. D. ejusdemq; in Illustri Academia VVitteb.

P. P. Ecclesiæ Witteb. Pastoris Consistorij Ecclesiastici

Assessoris, Circulique Electoralis Superintendentis

Generalis.

*Dn. Præceptoris, Patroni, Promotoris, ac Hospitis*

*sui summa observantia colendi,*


*collationi placidæ exponit*

JOHANNES ALBINUS, Dant. Bor.

A. & R.

*In Auditorio Majori.*

Ad diem XIII. Decembr.



VVITTEBERGÆ

Exscribebat MICHAEL WENDE

Anno cIo Io c LV.

*Carol. Dno*

19



MISCELLANEA THEOLOGICA  
Brevem & Succin  
G... ..  
Ann... ..



05 A 2468


Ann... ..





Σὺν τῷ Θεῷ τῷ τρισμεγίστῳ.

PROOEMIUM.



Vangelium esse breve & longum, apophtegma fuisse *Divi Bartholomæi Apostoli* à *Dionysio Areopagita* dicto (tract. de mystica Theologia) asseritur. Breve quidem quoad sententias & verba; Longum quoad virtutem, potentiam ac durationem teste *B. Augustino. serm. I in Vigil. Pentecost.* Cui suffragatur *D. Joh. Chrysostr. scribens alicubi: Breve verbum, sed virtus multa, quoniam & gemmæ non in corporis tumore, sed naturæ pulchritudine pretium habent; sic & scripturarum lectio.* (Hæc tractantur à *D. Finckio Can. Theol. Cent. I. p. 32.*) Quæ ut de Evangelio γενικῶς sumpto dicta sunt vera, sed de Evangelio ειδικῶς & specialissimè accepto, præprimis à *Johanne Apostolo & Evangelista Cap. III. vers. 16.* conscripto sunt verissima. Continetur enim illo totius fidei nostræ βάσις, & salutis ἀνρῳπολις: Universalis nempe *DEI* gratia omnibus æque hominibus apparens. II Meritum Christi Universale omnibus æque conducens III. Medium, fides scil. quam ut omnibus æque id applicet, Deus quantum in ipso est, præbet omnibus. Hanc divinam veritatem

A 2

quam

quam atrociter oppugnet Gens Calviniana (ab in-  
variata Augustana Confessione addictis distinguendi ergo sic  
nominata) vix dici satis scribere potest. Quocirca  
cum aureum istud & nunquam satis laudatum di-  
ctum à veritatis hostium strophis vindicare verita-  
temque unicè asserere sedeat animus, sanctitatem  
Dei pro ingenij modiolo sartam, te ctam cupiens,  
cum Calvinianorum secta in arenam descendam.

*Quod meum ceptum ut felix faustumq; jubeat esse ipse  
bonitatis fons & autor, est quod imis gemitibus  
peto.*

### Universalis dilectio DEI Erga genus hominum.

*Sit ergo Thesis prima Job. III. vers. 16.*

Οὕτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸ υἱὸν αὐτοῦ τὸ  
μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς πιστεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται,  
ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον.

Sic DEUS dilexit mundum ut Filium suum  
unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum  
non pereat, sed habeat vitam æternam.

Also hat GOTT die Welt geliebet / daß  
ER seinen eingebornen Sohn gab / auff das  
alle die an Ihn gläuben / nicht verlohren wer-  
den / sondern das ewige Leben hetten.

DEUS totum mundum gratia & Amore suo com-  
plectitur. Quod probatur ex dicto desum-  
pto hoc modo.

*Qui-*

Quibuscunq; DEUS Filium suum Unigenitum dedit, illos  
gratia & Amore complectitur.

At Toti mundo i.e. omnibus hominibus filium suum unigenitum dedit. E.

Omnes in mundo homines gratia & Amore complectitur.

Εκθεσις prima.

Vocabulum DEUS aut sumitur εσσιδως sive essentialiter, aut υπεστατικως sive personaliter. Hic personaliter. Et quidem Deus Pater habens filium. Secunda vero & Tertia SS. Trinitatis persona non exclusa. Nam CHRISTUS nos dilexit Esai LIII. 9. Act. XV. II. Gal. I. 6. Ephes. V. v. 5 simul & ipse SPIRITUS SANCTUS Rom. V. 5. Nec immerito. Nam DEUS Pater, Filius & Spiritus Sanctus est charitas. I Joh. IV. 8. Quem amorem qualibet Deitatis persona in operibus ad extra dictis luculenter quoque demonstravit. Pater scilicet in hominis creatione. Filius in hominis redemptione. Spiritus S. in regeneratione & sanctificatione.

Εκθεσις Secunda.

Per mundum hic non intelligimus structuram mundi, neq; omnes omnino creaturas, quibus tamen benignus & suavis DEUS est, & miserationes ejus super omnia opera ejus Psalm. CXLV. 9. Diligit DEUS omnia, quae sunt, & nihil odit eorum, quae fecit Sapient. VI. 25. Neq; Diabolos, quorum non est misertus. Sed Homines, & quidem non in statu integritatis consideratos, quia illi non indignissent Filij DEI in carnatione & redemptione, sed in statu corruptionis consideratos. Hos dilectione non frigida, non levi, sed tanta persecutus, quae hominum & Angelorum admirationem, ac intelligentiam longissime transcendit. Hos tam arden-

A 3

ter

ter & vehementer dilexit, ut non servum, non Prophetam, non Angelum, nec Archangelum, sed suum filium & quidem non ex multis unum aliquem sed unigenitum *μονογενῆ* mundo daret. Mundi igitur vocabulum de omnibus in mundo hominibus accipiendum.

#### Probatur I. Ex vocabuli mundi usurpatione.

Mundi enim nomen de hominibus acceptum quandoque significat (a) *solos incredulos* Joh. XVII. 9. (β) *fideles & infideles simul*, nusquam vero solos credentes & electos.

#### II. Ex mundi divisione.

Mundum enim CHRISTUS, sive omnium hominum gregem dividit in duas classes, unam credentium in CHRISTUM, alteram non credentium vers. 18. Unam electorum, alteram reprobatorum in eos qui salvantur & condemnantur.

#### III. Ex officij CHRISTI conditione.

Illum mundum DEUS dilexit & filium suum ei dedit, *propter quem non damnandum, sed salvandum filius in mundum venit* vers. 17. Jam vero in primo suo adventu CHRISTUS, non tantum propter credentes sed etiam incredulos non damnandos, sed salvandos in mundum venit Joh. XII. 47.

#### IV. Ex Evangelij prædicatione.

Illum mundum Deus dilexit, & ei Filium suum dedit, cui Evangelium de Christo prædicari mandavit; quia evangelium illud offert, quod Deus in Christo nobis dedit. Jam vero evangelium ex mandato Christi annuntiatur *omni creature rationali* Matt. XXIX. 12. Marc. XVI. 15.

#### V. Ex



## V. Ex Incredulorum damnatione.

Increduli propterea damnantur, quia in Christum non credunt vers. 18. E. etiam filius ipsis datus est, ac proinde ipsos Deus ita dilexit ut filium suum ipsis daret, cui ad stipulatur Spiritus S. in Epist. Pauli ad Hebræos X. 29. πῶσα δοκίτε χεῖρον ἢ ἀξιώθησθε πνεύμας ὁ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ κατὰ πατήσας, καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης νεοτῶν ἠγασάμεν ἢ ὡμολόγησεν, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἠυβρίσας.

## VI. Ex absurdi consecutione.

Si filius DEI reprobis nullo modo datus, nec propter illos salvandos in mundum missus, sequitur quod reprobi non debeant in ipsum credere, & per consequens, causa damnationis non poterit esse ea quod in Christum non credant.

## VII. Ex vocatione.

Illos Deus dilexit & filium suum iis dedit, quos Christus quasi extensa manu ad sese vocat, quorsum enim eos vocaret, nisi eis etiam esset datus. Jam vero Christus vocat etiam omnes qui laborant & onerati sunt Matt. XI. 28. Esai. LXV. 2. hoc est omnes homines jugo legis & peccati onere pressos sive illud onus sentiant, sive minus. Stat igitur firma conclusio MUNDUM totum genus humanum notare, quale in hunc mundum nascitur quodq; vocabulum mundus hic post lapsum omnes & singulos homines sive peccatores alle vnd jede Menschen / quales etiam omnes sunt, ante promissam filij DEI donationem considerati significet, quæ significatio in scripturis maximè usitata.

### ANTITHESIS.

Excipiunt CALVINIANI nomine mundi non omnes

*omnes homines, electos & reprobos, verum solos electos significari Piscator in Comment. Polanus in Syntag. Theol.*

Resp. Verum falso hic per mundum intelligi *solos homines electos*, probamus.

I. E scripturæ stylo.

Nusquam enim in toto codice Biblico SPIRITUS S. voce Mundi designat solos homines electos.

II. A distinctionis modo.

Quia Christus vers. 18. mundum dispescit in *credentes & incredentes*, in q; eos qui *salvantur*, & in eos qui *condemnantur*. E. utrosque voce mundi simul comprehendit. Totum enim non excludit, sed includit & continet suas partes. Non potest igitur nomine *mundi* solos homines electos intelligere. Nulli enim damnantur electi, sed omnes salvantur Rom. IIX. 30.

III. A D. Johann. testimonio.

Quia ipsemet D. Johannes I. Epist. II. L. sese clare explicat, quod per *mundum* hic intelligat, non *solos credentes*, sed *totum mundum*.

IV. Ab incredulorum consortio.

Ad hunc mundum etiam referuntur increduli vers. 17. 18. 19. 20. 21.

V. A ταυτολογίας vitio.

Si tantum *electi* notantur ταυτολογία impingitur Christo quomodo enim hæc coherent: Sic Deus dilexit *credentes*, ut omnes *qui credunt in ipsum* non pereant.

VI. Ab Absurdo.

Si Vox *mundi* idem est quod *Electi* juxta adversariorum hypothesein, absurdum ex versio sequitur, quod

quod Electi magis dilexerunt tenebras, quam lucem.

## VII. Ex CHRISTI officio

Notatur *ille mundus* ad quem servandum Christus est missus, sed oggannit spiritus ille Calvinianus hic iterum *Piscator super Joh. III. 16 schol. germ.* Amorem istum DEI, de quo ibi sermo est, *non omnes, sed solos electos* attinere, quia secus omnes homines salvari oporteat: siquidem DEI Amor immutabilis. Resp.

Non. Sequitur: si amor ille divinus est omnibus hominibus communis & est immutabilis. E. omnes homines salvari oportet, quia iste amor divinus nos non servat absolute, sed in Christo mediatore, in verbo & sacramentis divinis nobis oblato, & per fidem à nobis apprehenso Rom. III. 24. Nec immutabilitas Amoris divini, evertit connexionem causarum Salvationis in sacris literis assertarum.

Idem *Piscator* l. c. ulterius objicit p. 321. Per vocabulum *mundi* non intelligitur *mundus totus sive universus*, scilicet omnes in mundo homines sed intelliguntur homines electi, qui in mundo universo agunt. Exponit enim hoc vocabulo Christus vocabulum OMNIS, quod proxime præcedit ubi ait, *ut omnis qui credit in eum non pereat.* Omnis scilicet sive sit Judæus, sive ex aliis nationibus, quæ per totum mundum dispersæ sunt. Et nisi vocabulum mundi hic de solis electis, per mundum dispersis intelligitur: pugnabit hoc dictum cum dicto Joh. XVII. 9. *Non rogo nunc pro mundo.*

Resp. Ista Piscatoris argumenta non evincunt, quod Christus Joh. III. 6. per mundum solos homines electos intelligat. *Non primum, quia falsum est*

B

quod

quod Christus vocabulo *mundi* vers. 16. exponat vocabulum *omnis* vers. 15. Nam hoc vers. 15. indicat *causam instrumentalem* vitæ æternæ, quæ est fides. At vers. 6. ostendit *causam* vitæ æternæ *procreantem principalem* ( *ut loquitur Piscator in analysi latina* ) illa est ex culpa ipsorummet hominum *particularis* Luc. IIX. 12. Hæc est *universalis* Tit. II. 11. Nec *secundum*, quia duo illa dicta Joh. III. 16. 17. sunt disparia: Hic verò colligunt Calviniani Christum *pro toto mundo* non passum, quia *pro toto mundo* Christus non oravit. Resp. Christus dicit; *Non rogo nunc pro mundo*. Ergo nunquam nullo tempore oravit pro mundo. Orabat saltem hac vice pro discipulis Ergo ne illi ejus discipuli tantum frui debebant merito Christi. Quin vero sic corrigimus argumentum pro quibus *nunquam* oravit Christus. At tum *falsa minor*. Nam ea ex hoc textu probari nequit, quippe dicitur, quod Christus saltem pro mundo non oret, alioquin alias pro mundo oravit. Esai LIII. Matt. XXVII. Priori enim loco *omnes homines*, posteriori *non omnes* denotat homines *sed malos & refractarios*, & impios discipulorum Christi persecutores. Illud respicit *voluntatem Dei antecedentem misericordem*. Hoc *voluntatem Dei consequentem ultricem*.

Porro obloquendo pergit *Piscator* dicto Rom. IIX. II. 12. 13: *Esau odio habui Jacobum vero dilexi*. E. dilectio Dei non est Universalis.

Resp. I. Utroq; vocabulo non semper animi *affectus ipsos*, se *actiones externas*, speciem, sed non rem affectuum præferentes indicari, sic, ut diligere significet, beneficiis afficere aliquem præ cæteris; *odisse* vero post habere. Sic Luc. XVI. 20. *Utriusque*  
vocis

vocis significatio accipienda est. Affectus enim animi in utramq; partem communis esse queat, sed studium atque opera servire non nisi uni potest. Sic Proverb. XIII. 24. Qui parcit virgæ odit filium suum, *id est*, minus recte curat, non consulit ipsi. Qui autem diligit ipsum, *id est*, juvat ac promovet commoda filij, mature castigat ipsum. Similis est utriusq; vocis significatio Joh. XII. 27. si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem, uxorem, filios, fratres sorores, quin & animam suam non potest esse meus discipulus. Non intelligi hic animi affectum hostilem, qui erga istos nunquam induendus est; sed curam & conjunctionem externam intelligi lex ipsa divina admonet. Eodem sensu Malachia Propheta Cap. I. & Apostoli locum accipiendum esse, non de salutis aut damnationis aeternae causa, sed externorum beneficiorum ac privilegiorum concessione & abrogatione partim Malachia verba, partim historia ipsa Mosaica diserte contestatur. Quod enim Jacobo primogenituræ dignitas & successio concessa fuit, hoc dilectio appellatur; quod utraq; Esavo adempta, & posteritati ejusdem terra sterilius assignata fuit, odii, *id est*, minoris dignationis & minoris beneficentiæ esse in scripturis dicitur.

Resp. II. Non loquitur Apostolus de Esavi aut Jacobi dilectione ad salutem, sed de dilectione ad benedicendum in terris & de odio ad negationem terrenorum bonorum. Ideoq; nec hæc argumenta opinionem Piscatoris stabiliunt, quia Deus & Esavum dilexit ad salutem.

Piscatori assurgit & hic D. Spanheimius, statuens vocabulum Mundi, tum alibi, tum hic, maxime pro

*solis elictis sumi.* Resp. Quod Vocabulum *Mundus* post lapsum *omnes & singulos homines*, sive peccatores alle vnd jede Menschen/ quales etiam homines sunt ante promissam, filij donationem: considerati ex thesi nostra firmiter probari potest. Nunc ad antithesin eius paucis nos conferamus. Et primo quidem inquit *Spanheimius* pag. 734. Quia ex his locis parallelis apud Johannem patet, *mundi nomen restricte sumi*, cum prædicatis id genus ut Joh. I. 29. Ubi Christus dicitur agnus *ἀγνός* tollens peccatum mundi, & quidem tum actu tum sine conditione, transferens in se id, & à nobis auferens, tum ne damnet per gratiam justificantem, tum ne regnet per gratiam sanctificantem, tum ne sit per glorificationem utramque consequentem. Sic Cap. III. Joh. 17 finis adventus Christi, quo Christus excidere non potest, est *ἵνα σωθῆ ὁ κόσμος* & *ἀγνός*. Certus ergo *mundus servandorum est oppositus mundo damnandorum*. Sic dati Christo *ἐκ τῆς κόσμου* Joh. XVII. 6. & filij dispersi in mundo Joh. XI. 52.

Resp. Locum Johanniticum Cap. I. 29. nos contra Redemptionis particularitatem maxime urgemus, qui dicitur *tollere peccata mundi, scilicet ceu victima, & agnus immolandus*, urgemus, qui dicitur *tollere peccata mundi*, in quem Deus *peccata nostrum omnium*, qui *ceu oves erravimus coniecit*. Esai. LIII. 6. *ut esset propitiatio non solum pro nostris, sed etiam totius mundi peccatis* I. Joh. II. 2. *Ac ita pro omnibus moreretur* 2. Cor. V. 5. Quando vero *D. Spanhemius* addit Christum *tollere peccatum mundi*, & quidem *tum actu tum sine conditione*; hic respiciendum est utrum loquatur de salutis acquisitione tantum, an vero applicatione simul. Salus enim nobis per Christum tum *actu & re ipsa*, tum *sine conditione*, à nobis

nobis scilicet præstanda, fuit acquisita, ita tamen ut  
non applicatur nisi *per fidem in JESUM CHRISTUM* Joh.  
III. Nec obstat Christum non posse excidere sine ad-  
ventus sui, cum non quidem *totaliter*, sed tantum *par-*  
*tialiter* illo sine excidat, & ipse adventus ita determi-  
natus sit, ut salus hominum à Christo acquisita, non  
*absolute* sed *conditionate* applicetur, nimirum si homi-  
nes credant, uti omnibus coram tribunali Christi  
comparentibus Deus fidem offert Act. XVII. 35. Imo  
scriptura expressis docet verbis eos à Christo etiam esse  
*redemptos, qui pereunt* 1. Cor. II. 2. *Qui eum abnegant*  
2. Pet. II. 1. & *Sanguinem ejus quo Sanctificati fuerunt, pedi-*  
*bis conculcant* Heb. X. 29. Instat D. Spanheimius alium  
adhuc afferendo locum, sed vicissim nobis magis fa-  
ventem. Sic, inquit, Joh. VI. 36. *CHRISTUS vocatur pa-*  
*nis ille Dei, qui de Cælo descendit, & dat vitam mundo. At*  
*cui modo dat CHRISTUS vitam? An mundo reproborum, qui*  
*morti æternæ sunt, & erunt obnoxij? Daretur rima quædam*  
*argutationibus humanis, si CHRISTUS diceretur huic mundo*  
*impetrare, mereri vel offerre vitam. At dicitur illam dare*  
*qua pbrasi notatur applicatio vitæ, quæ sane non potest con-*  
*venire aliis præterquam Dei filiis. Nec enim Christus dici*  
*potest Servator illius mundi, quem non servat, imo cujus ma-*  
*ximæ parti nil quicquam de salute, vel medio ad illam perve-*  
*niendi innotescit.*

Resp. Hic vicissim *spectari CHRISTUM ex intentione*  
*DEI*, prout ille à Deo missus est in mundum, nimi-  
rum ut servator mundi *toti mundo daret vitam* sicut  
vers. 51. *Carnem suam pro mundi vitâ dedisse* dicitur. Hoc  
modo manet objectum universale *ex intentione Dei*, li-  
cet *eventualiter* non omnes accipiant illam vitam, sed  
eâ verbo repulso se indignos judicant Act. XIII. 46. ac

publicum verbi præconium ab ipsis plane tollatur. Sic Deus manet protector & conservator vitæ naturalis in toto mundo, licet *eventualiter* hujus vel illius vita non protegatur vel conservetur, cum ipse sua culpa hoc privetur beneficio. Et ita spectari debet etiam applicatio vitæ spiritualis, non *eventualiter* respectu hominum, prout fit vel non fit, sed *intentionaliter*, seu *ex intentione* Dei, filium pro totius mundi propitiatione, Joh. II. 2. mittentis, prout scilicet applicari deberet.

## THESIS SECUNDA.

### CHRISTI meritum est Universale.

Quisquis, 1. à Deo patre in hunc mundum missus est, ut assumpta natura humana salvaret humanum genus. 2. Et ipse ideo venit, ut per ipsum Salvaretur, quod perierat, nempe ipsum hominum genus. 3. Ac proinde mortuus est pro toto mundo 4. Non tantum pro Judæis sed etiam pro gentibus 5. Non pro credentibus solum, sed pro tota etiam reliqua hominum multitudine 6. Adeoque etiam pro impiis. 7. Et illis qui ipsum negant. 8. Et qui pereunt 9. Ut ita beneficium ipsius minime sit arctius & contractius delicto Adami, sed potius superabundet. Unde etiam hoc ipsius beneficium per Evangelium annuntiari & offerri debet omnibus hominibus, ut omnes qui vera fide ipsum suscipiunt, salventur, reliqui autem damnentur ideo quia non credunt in ipsum cum ejus meritum est universale, Certum est satisfecisse & mortuum esse pro peccatis omnium omnino hominum sine ulla exceptione.

At-



Atqui 1. *Filius DEI à Patre in hunc mundum missus est, ut assumpta humana natura salvaret humanum genus* Job. III. 17. Misit Deus filium suum, ut mundus salvetur per ipsum 1. Joh. 14. Pater misit filium, Salvatorem mundi Gal. VI. 4. 2. Cor. V. 19. Esai LII. 6. 2. *Et ideo ipse venit, ut per ipsum salvaretur, quod perierat, nempe totum genus humanum* Matt. XIX. II. Luc. XIX. 10. Venit filius hominis salvare, quod perierat Joh. XII. 47. ut salvificet mundum Luc. II. 10. II. Gaudium ex Christi nativitate futurum est omni populo Tit. II. II. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus. 3. *Ac proinde mortuus est pro toto mundo* Joh. I. 29. CHRISTUS est agnus ille DEI, qui tollit mundi peccata 2. Cor. V. 19. Deus erat in Christo, reconcilians sibi mundum Roman. V. 18. 19. Cor. XV. 22. 1. Tim. II. 6. 2. Cor. V. 14. 15. Col. I. 20. 4. Non tantum pro Judæis, sed etiam gentibus 1. Tim. II. 6. Christus semetipsum dedit pro hominibus in mundo omnibus Heb. II. 9. Mortem gustavit pro omnibus Gal. III. 28. Rom. III. 9. 5. *Non pro credentibus solum sed pro tota etiam reliqua hominum multitudine* 1. Tim. IV. 10. Deus Salvator omnium hominum maxime fidelium 1. Joh. II. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris non pro nostris autem tantum, h. e. credentium, sed etiam pro totius mundi h. e. totius generis humani. 6. *Adeoque etiam pro impiis* Rom. V. 6. Christus pro impiis mortuus est. 7. *Et illis qui ipsum negant* 2. Petr. V, I. Doctores mendaces negant, qui ipsis mercatus est Dominum. 8. *Et qui pereunt* Rom. XIV. 16. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. 1. Cor. IX. II. Peribit infirmus in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est Heb. VI. 4. 12. 6. *Qui peccant in SS. illi rursus crucifi-*

cifigunt sibi metipsis filium Dei Cap. X. 10. Et Sanguinem testamenti pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt. 9. *Ut ita beneficium, ipsius minime sit arctius & contractius delicto Adami, sed potius superabundet. Rom. V. 15. Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis JESU CHRISTI in plures abundavit. 1. Cor. XV. 21. 22. Quoniam quidem per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur ita & in Christo omnes vivificabuntur. 10. Unde etiam ipsius hoc beneficium per Evangelium annunciari & offerri debet omnibus hominibus, ut omnes qui vera fide ipsum suscipiunt, salventur reliqui a. damnentur, ideo quia non crediderunt in ipsum Ergo CHRISTI meritum est universale.*

#### ANTITHESIS.

Sequitur Antithesis, Calvinianorum statuentium Christum non esse pro omnibus hominibus fidelibus & infidelibus mortuum, sed tantum pro electis. Ita enim Beza Colloq. Momp. Certe nobis intollerabilis vox visa CHRISTUM esse mortuum pro damnatis. Iterum dico & coram tota Dei Ecclesia profiteor, falsum, blasphemum & impium esse, dicere CHRISTUM sive quoad DEI consilium, sive, quoad effectum, non minus pro damnandorum peccatis passum crucifixum mortuum esse & satisfacisse, quam pro peccatis Petri & omnium Sanctorum.

Resp. Nos vero statuimus CHRISTUM fuisse mortuum & satisfacisse pro peccatis omnium & singulorum hominum: sed quia non omnes sibi fide applicant istam satisfactionem, ideoq; nec omnes fieri participes salutaris illius fructus, quem Christus satisfactione sua hominibus promeruit. Concludimus  
igi-

igitur verbis *Episcopi Mediolanensis Ambrosij* serm. 8. in  
Psal. CXVII. *Sol justitia omnibus ortus est, omnibus venit,*  
*omnibus passus, & omnibus resurrexit si quis autem non cre-*  
*dit in ipsum scilicet Christum generali beneficio ipse se*  
*fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat.* Ori-  
genes in *Epist. ad Tit.* *Nemo hominum à Deo in perditionem*  
*traditus est, sed unusquisq; pereuntium sua negligentia &*  
*culpa perit.*

Objiciunt Calviniani nobis dicta Scripturæ Matt.  
XV. 24. *Non veni nisi propter oves perditas Domus Israeli-*  
*ticae.* Ex quo falsum sibi autem charum sensum ex-  
struere satagunt scil. Christum non pro omnibus mor-  
tuum.

Resp. 1. *Respectu in itij muneris Prophetici, quod con-*  
*sistebat in prædicando & miracula faciendo, Chri-*  
*stus pertinuit ad solos Judeos, primum enim vobis an-*  
*nunciamus* Act. X. 2. Si strictè hunc locum urgent Cal-  
viniani, nec propter ipsos venit Christus, quia non  
erant *nativitate Judei, sed gentiles.* Neque excipere  
*spirituales se esse Israelitas* possunt. Nam *Mulier Cana-*  
*naea* talis fuit, nihilo tamen minus propter eam se  
missum Christus negavit. 3. *Distinguo inter officium*  
*Christi Propheticum & Sacerdotale.* Dictum hoc de Pro-  
phético non Sacerdotali loquitur. Hoc unum *versum mun-*  
*dam* illud *Judeos* potissimum attinebat.

Adducunt VORSTIUS CALVINUS & alij lo-  
cum ex Matt. C. 1. 2. *Is salvum faciet populum suum à pecca-*  
*tis ipsorum.* Ex quo colligunt ex verbis, scilicet An-  
geli Christum non omnibus sed paucis, & quidem *solis ele-*  
*ctis,* æternam acquisivisse salutem.

Resp. Hæ propositiones *Christus est Servator*  
*πάντων τῶν λαῶν,* & *Christus salvum facit populum suum,*

C

non

non sunt contradictoriae, sed subordinatae Totus mundus & omnes qui in eo homines dividuntur *ingentes & Israelitas*. Sed Christus & *Gentium*, quibus lumen est positum, & *Israelitarum* ad plebis suae gloriam Servator est Luc. II. 32. Ergo omnium & singulorum.

2. Meritum Christi consideratur vel *ratione applicationis* vel *ratione acquisitionis*. Si verbum *servandi* de *actuali salutis aeternae communicatione* seu *redemptione realiter per fidem salvificam applicata* intelligitur, tum iis lubenter concedimus istiusmodi dicta de fructu mortis Christi sonantia *restrictive* esse intelligenda, ac consequenter hanc phrasin ad solos fideles pertinere: si vero de *salutis sufficiente acquisitione*, quae inter nos & Calvinianos controvertitur sermo, falsum Christoq; injurium est, illum *pro paucis* & quidem *solis electis obedientia sua activa & passiva satisfacisse*, cum Servator sit *καθολικωτατ* & omnium & singulorum hominum, non solum *natura respectu* sicut Junius scribit Christum *communiter* ac potius *universaliter* servatorem esse *respectu naturae* ad omnes, *singulariter* vero *respectu salutaris gratiae* ad electos solum pertinentis, sed etiam *respectu salutaris gratiae*, quam omnibus acquisivit.

Quod probatur 1. *ex vocabulo colectivo Mundi* Christus enim a Patre mundo, (qui in *credentes & incredulos*, & *in lucis amantes*, & *tenebras luci preferentes* distinguitur) datus est. Joh. III. 16. Missus in mundum ut sit *Servator mundi*. Joh. IV 9 *ut servet mundum*. Joh. XII. 47. Christus *Deo reconciliavit mundum*. 2. Cor. V. 19. *Est propitiatio pro peccatis pro totius* (nota vocabulum omnium partium collectionem significans) *mundi*.

2. Ex

2. *Ex Particula distribativa.* Sicut enim beneplacitum Patris fuit OMNIA per CHRISTUM reconciliare, sive quae in Coelis sunt, Col. I. 20. sive quae in terra, & omnia in CHRISTO restaurari Ephes. I. 9. Ideo q; super ipsum etiam nostrorum peccata posuit expianda Esai. LIII. 6. Ita hoc etiam efficacissimè per Christum est praestitum, utpote qui pro omnibus mortuus 2. Cor. I. 14. pro omnibus mortem gustavit Heb. L. 9. Pro omnibus se pretium Redemptionis dedit 1. Tim. II. 6. Et sicut Adam omnes iniustitiae & morti obnoxios fecit, ita ipse iustitiam Rom V. 18. & vitam 1. Cor. XV. 22. acquisivit Hinc Salutifera DEI gratia OMNIBUS Titum II. 2. dicitur apparuisse.

3. JESUS moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei dispersos congregaret in unum Joh. XI. 52. Resp. Nec ex hoc particularitatem defendere meriti Domini nostri JESU CHRISTI Salvatoris possunt, quia per gentem, pro qua Christus mortuus intelligant licet solos Judeos velectos solos, nil firmi exinde concludere poterunt, quoniam non additur Christum tantum pro gente mortuum sed pro omnibus in mundo hominibus, ut omnes filij DEI evaderent.

4. Pergunt Calviniani suam opinionem dicto ex Apoc. XIV. 34. affirmare hoc argumento. Qui non sunt coinquinati cum mulieribus qui virgines sunt, qui sequuntur agnum, quocumq; ierit hi sunt emti & redempti ex hominibus. Atq; non omnes sunt immaculati, quod manifestum est, & per voculam ex superflue indicatur. Resp. Vitium est in formâ, ob minorem negativam. Tum verò Passio & Redemptio dupliciter in Scriptura consideratur. 1. Ratione sufficientiae vel voluntatis & intentionis DEI, & sic Christus propitiatio pro peccatis totius mundi. 2. Ratione Efficientiae vel applicationis atq; salutaris fru-



*fructus in hominibus qui tantum fidelibus competit. Quando igitur Christus sanctificare sibi populum dicitur passione sua, & redemisse non nullos homines tantum intelligatur, id de redemptione modo posteriori sumpta scilicet eos qui sibi salutarem fructum redemptionis Servatoris sui applicant. Et eo sensu accipit Apostolus verba, Hi sunt ex hominibus emti, non sufficienter tantum, verum etiam efficienter. Hoc ex dicto Apoc. V. 9. ubi electi canentes ajunt. Occisus es & redemisti nos DEO in Sanguine tuo, ex omni tribu, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, quæ verba ultima exegetica sunt priorum, unde & clarum sermonem ipsis esse de redemptione, quoad applicationem & efficientiam considerata.*

5. *Pro quo Christus mortuus eum trahit ad se juxta dict. Joh. XII. 32. Ego si exaltatus fuero à terra omnes traham ad me ipsum. Qui ad Christum trahitur, ille Christo adheret. Qui vero adheret Domino is unus est Spiritus cum ipso I. Cor. VI. 17. Atq; soli fideles sunt unus spiritus cum Domino. E. Hic soli Domino adherent. Ideoq; & hi soli à Domino trahuntur, & per consequens pro his solus Dominus mortuus.*

*Resp. Falsa est propositio illa. Quem Christus ad se trahit is Christo adheret Christus enim uti neminem trahit violenter, ita omnes trahit in universum, ratione voluntatis & intentionis suæ, & vocationis per verbum. Qui vero se trahi nolunt ut impenitentes, illi Christo non adherent, quamvis eos attrahere & sibi adherere velit Dominus. Unde dixit Antiquitas Christus trahit omnes non effectu, sed affectu & affatu.*

6. *Si CHRISTUS DEO Patri reconciliasset totum mundum totus mundus salvaretur.*

*Resp.*

Resp. Nullam esse connexionem in Majore. Requiritur enim non acquisitionis reconciliatio tantum ut salvatoris effectus emergat, sed insuper & ejusdem per fidem applicatio. Sic 2. Cor. V. 19. dicitur *DEus erat in Christo mundum sibi reconcilians* & mox tamen additur vers. 20. *Reconciliemini DEO* videtur hic esse *Ἀντίφασις* sed facilis est conciliatio, si dicatur, quod prius membrum de acquisitione, posterius verò de applicatione & apprehensione loquatur. Facta est reconciliatio per Christum, quoad acquisitionem: facienda est per pœnitentiam, quoad applicationem. Tandem ultimò obijciunt *Pro quibus Christus est mortuus, illis necessaria est Christi revelatio, seu illis necessario revelatur, Atq; non omnibus revelatur nec revelatus est E.*

Resp *Major non est simpliciter vera.* Ad applicationem quidem semper requiritur revelatio. Interim si ipsam acquisitionem consideraveris non est necessaria; Exempli gratia: Paulo cum adhuc Saulus esset, non erat revelatus Christus. Et tamen eo ipso tempore pro Paulo Christus erat mortuus.

### THESIS TERTIA.

Universalis est oblatio mediorum fidei.

A mandati divini autoritate,

*Quicumq; omni Creatura (rationali) Evangelium predicari jussit, ille omnibus hominibus medium fidei generanda aptum communicare vult.*

*Atq; de DEO verum est prius.*

*E. & posterius.*

Major propositio sua radiat luce.

Minoris veritas elucet ex Marc. XVI. 15. *Euntes in mundum universum predicate Evangelium omni creaturae* & Matth. XXIV.

14. *Prædicabitur Evangelium regni in universo Mundo.*  
E. immota stat. conclusio.

Additur & Psalm. XIX. 4. *Non sunt loquela neq, sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quæ verba D. Lucas Osiander sic ἡ ἀγγέλιος: *Nulla est lingua & natio ad quam non pervenit Evangelium de Christo.* Apostoli enim in festo Pentecostes inceperunt Jerusalemis variis linguis prædicare Evangelium de Christo. Postea digressi in orbem terrarum, in omnibus linguis & nationibus ad quas pervenire potuerunt, annunciarunt Christum Filium Dei pro peccatis nostris crucifixum. Et versu 5. *In omnem terram exivit sonus eorum,* in quæ verba iterum Osiander Doctrina cœlestis per Apostolos, & eorum successores in omni terra propagata est, quæ instar regulæ est, ostendens, qua via rectissimo tramite eatur ad regnum cæleste.

Unde iterum argumentor.

2. A divini mandati executione.

*Si sonus verbi divini exivit in omnem terram, sequitur neminem absoluto decreto à medio fidei generando esse exclusum; & consequenter, Deum omnibus fidei media à parte sui donare constituisse, ratio hæc est, quia omnib, verbum, per verbum autem fidem dare voluit E.*

Ἐν ἑσπερίῳ.

Quando asserimus, quod Deus omnibus hominibus media fidem generantia impertire velit, loquimur non de qualibet fide. Non de *fide historica*, quæ, in notitia, aut nudo saltem assensu consistit quam & ipsis Diabolis adscribit D. Jacobus Apostolus, C. 2. Epist. v. 19. *Nec de fide miraculosa*, de qua Christus discipulis suis loquitur Matt XVII. 20. & Apostolus I. ad Cor. XIII. 2. *Sed de fide salvifica*; quæ definiente ipso Spiritu S. Ebraeorum XI. 1. est ἐλπίζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχ-

χϞ



χρ. & βλεπομένων *Per eam justificamur* Rom. III. 28. 31. Gal. III. 24. *Ex ea justus vivit* Habacuc II. 4. *Per eam salvamur* Act. XVI. 2. I. Cor. I. 21. *Sine ea autem Deo placere impossibile* Ebreorum XI. 6. Hæc initium, medium & finem vitæ spiritualis moderatur, quamdiu durât dies peregrinationis nostræ. *Fide namq; habemus aditum ad gratiam.* Rom. V. 2. *Fide militamus bonam militiam, & tandem fide in requiem intramus.* Hujus salvificæ fidei autor est Deus, & *ratione initij* Ephes. II. 18. Joh. VI. 19. *Et ratione augmenti* Marc. IX. 24. Luc. XVII. 5. *Et ratione perfectionis* 2. Theſ. I. 11, Phil. III. 6. quare & ab Apostolo audit Ebreorum XII. 2. Ἀρχηγός καὶ τελειωτής τῆς πίστεως.

Excitat autem hanc fidem *vel in Infantibus, vel in Adultis in Infantibus* vel per medium ordinarium baptismum scilicet, qui est *lavacrum regenerationis* teste epist. ad Titum I. 5. *Vel absq; hoc medio*, quando nempe fidelium liberi ante perceptum sacrum fontem, vel intra, vel extra uterum maternum constituti, vita excedunt. Quamvis enim Salvator ad nanciscendam fidem, ejusque consequens, æternam salutem, ad baptismi Sacramentum nos adstrinxerit, semetipsum tamen eidem non adstrinxit, quum ejus gratia nullis cancellis sit inclusa quocirca Marc. XIV. 16. dicit. *Quicumq; crediderit.* Ubi in repetitione posterius membrum: *Qui vero non fuerit baptisatus; studio prætermittit; & juxta Theologorum Orthodoxorum Canonem, Non privatio sed contemptus Baptismi damnet;* quin imo ipsos infantes, quos uterus matris suæ adhuc tenet & fovet Spiritu S. repleri posse, exemplo est *Johannes Baptista* Luc. I. 41.

*In Adultis* autem per auditum verbi sui; uti eum Apostolus fidei generandæ necessarium requirit Rom. X. 13. 14. Ea verò per quæ homo ad verbi auditum compellitur non sunt, unius generis. *Quosdam enim Christus in diebus carnis suæ attraxit ad se per sua miracula. quosdam per*  
alio-

aliorum hominum ministeria, ut Samariae Cives per mulierem Samaritanam Joh. IV. 39. Quosdam autem per crucis flagella; dum eos per ea intrare compellit, quemadmodum compulit Naamannum Regis Assyriorum Praefectum 2. Reg. V. Hisce & aliis mediis DEUS fidem producit & ad fidei media adducit.

#### ANTITHESIS.

Nondum contradictionum finis est cum Calviniseque iterum obvertant; se quidem concedere, omnes vocatos, posse salvari, si Evangelio credant, sed Deum nolle omnibus vocatis salvificam fidem dare. Quam opinionem perversam rejicio, & sic concludo. Si DEUS ita dilexit mundum totum, ut ei toti dederit filium suum unigenitum Salvatorem; E. & sic eum dilexit, ut illi toti velit fidem salvificam dare, siquidem sine fide impossibile, sit Deo placere Ebraeorum XI. 6. Hanc connexionem approbat Paulus, Rom. IX. 32. inquit. Qui proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia ad salutem aeternam necessaria donet. Quod autem actu ipso DEUS non omnibus divini verbi auditoribus. Dat fidem salvificam, id non fuit ex absoluto electionis & reprobationis aeternae decreto, sed ex propriis hominum malitiosis impedimentis de quibus vid. Matth. XXIII. 37. Diligenter enim notandum est, quid voluntas DEI, quae vult nobis fidem dare non sit absoluta, sed ordinata, hoc est, ad divinitus constituta media determinata Rom. X. 17. Joh. XVII. 20. Illi igitur qui petulanter resistunt aliisque modis sui illuminationem impediunt, manent fidei salvificae expertes. Hinc Voluntas divina distingui solet in Antecedentem & consequentem, non quod in Deo sit duplex realiter distincta divina voluntas, sed quod una Dei voluntas diversos involvat respectus Antecedens namque spectatur, tantum in Deo, certum salutis ordinem constituente. Sic DEUS vult, mitti in mundum filium, & pro peccatis satisfacere. Consequens voluntas vocatur, ut spectatur & in hominibus; prout illi voluntatem Dei in Evangelio propositam vel amplectuntur vel rejiciunt, unde qui credit in CHRISTUM salvatur, qui non credit damnatur.

Tantum.

SOLI DEO GLORIA.

05 A 2468

ULB Halle

3


004 545 435



KD57







IN NOMINE JESU!  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
*Continens*

# Brevem & Succin-

ctam enodationem Dicti Jo-

hannæi ex Capit. III, v. 16.

*contra*

Calvinianorum Hæresin.

*Quam*

Annunte Supremo Nomine :

*SUB PRÆSIDIO*

*VIRI Plur. Reverendi Amplissimi Excellentissimi,*

**DN. ABRAHAM CALOVII,**

SS. Th. D. ejusdemq; in Illustri Academia VVitteb.

P. P. Ecclesiæ Witteb. Pastoris Consistorij Ecclesiastici

Affessoris, Circulique Electoralis Superintendentis

Generalis.

*Dn. Præceptoris, Patroni, Promotoris, ac Hospitis*

*sui summa observantia colendi,*


collationi placidæ exponit

JOHANNES ALBINUS, Dant. Bor,

A. & R.

*In Auditorio Majori.*

Ad diem XIII. Decembr.



WITTEBERGÆ

Exscribat MICHAEL WENDE!

Anno c1o 1o c LV.

*Carey. Dno*